Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 139
Quelle:
Copyright:

CODICES HERMENEUTICI.

LXIV. VII J 24

863 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 243. 12. non una manu, ſed ita conſcriptus, ut partes quaedam Seculum X. aliae item Sec. XII. reſpicere videantur, nitidus et bonae Notae hoc rubro eſt: *Incipiunt Gloſe In Geneſin.* Etiam *Cod.* CCLXXVII. laudamus eruditas has in univerſa Biblia Gloſſas; at praeſens, qui olim *Seb. Tengnagelii* Bibliothecae noſtri Praefecti ſemper cum *Lambecio* nominandi κτημα fuit, eas integras non absque inſigni augmento exhibet. Initium faciunt Gloſſae in Praefationem *Hieronymi* in Pentateuchum hoc modo: *Prologus eſt prolocutio. Proemium eſt initium dicendi. Sunt enim proemia principia librorum. quę ante cauſę rationem ad inſtruendas audientium aures coaptantur. Preſagium i. preſcientia. pentateuchum i. V. librorum.* &c. Gloſſae in Geneſin ita ordiuntur: *De libro Breſith. ebraice. geneſis grece. generatio latine. In principio i. initio ordinis Creaturarum. Terra erat inanis i. inutilis et uacua i. ornatu. Alia translatio habet inuiſibilis et incompoſita in quo intellegitur adhuc inperfectio corporalis ſubſtantię ſignificata* &c. Ita enotatur *Pentateuchus* totus, Librique *Joſue, Judicum* et *Ruth*, memoratis non raro των *Septuaginta*, *Aquilae Symmachique* verſionibus. Sed et *Theotiſca* frequenter inſpergunter; ſic vel in Geneſi: *Murboum* Caprificus, *In Thera Cbuoli* ad Auram. *Brunaz* Furvum. *Eleuuaz* Fulvum. *Dinc zit* Placiti tempus. *Albarin* Populeus. *Mandalpoumin* Amygdalinus. *Heſilin* e Corylo. *Bitrógan* Deluſa. *Ardorreta* Emarcuit &c. Unde *Teuto* fuit Gloſſator noſter, quod e ſequentibus confirmabitur. Nam

Fol. 97. interrumpitur *Gloſſarium*, et ſuccedunt, quae ordine ediſſeram. 1) Doctrina de pronuntiatione ſingularum literarum ope organorum, quae incipit: A. *Sub hiatu oris congruo ſolo ſpiritu memoramus.* B. *Labris per ſpiritus impetum recluſis edicimus.* &c. et jam alibi indicata eſt. 2) Notitia Characterum *Graecorum*, *Hebraicorum*, *Latinorum*, *Aethici* Philoſophi et *Marcomannicorum*, adpictis ſingulorum Figuris, additisque nominibus. Extat haec Notitia